



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LV. De sanctis qui peste obierunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

le Archangelo, circa quam aliquid innouare, Episcopo Si-
pontino prohibuit. Sicuti enim per ordinarios suos mini-
stros potest quemlibet Sacramenti & Sacramentalium ef-
fectum conferre, ita pari modo per seipsum, aut per extra-
ordinarios à se deputatos, nulli siquidē instrumēto alligata
est vis diuina, quæ se solâ potest quidquid cum alio potest.

CAP. LV.

De Sanctis qui peste obierunt.

Non solùm, vt superius dixi, hîc commemorabo
sanctos Tutelares qui miraculosâ ope pestem à
suis clientibus propulsarunt, verùm & eos qui vel
eâ viui afflicti, vel morte per eam defuncti sunt. in eo enim
in quo passi sunt ipsi & tētati, potentes sunt & eis qui ten- Heb. 27
tantur auxiliari. Primum verò locum in hac serie exigunt
ardentes illi fraternâ caritate presbyteri & diaconi Eccle-
siæ Alexandrinæ, qui propriâ corporum salute contemptâ,
de proximorum autem maximè solliciti, igne veri amoris
succensi, in acerbissima illa cōtagione sub Valeriano Impe-
ratore eadem infectis constantissimè ad mortem vsque mi-
nistrarunt, & mortem lubentissimè pro fratribus suis op- Martyrol.
Rom. 28.
Feb.
petierunt, quos veluti martyres religiosa piorum fides, in-
quit Rom. Martyrologium, venerari consuevit. Et quid ni
tamquam martyres? Sicuti enim hi pro Christo, ita illi pro
proximis suas animas posuerunt. Sed iuuat audire ocula-
tum rei gestæ testem Dionysium Alexand. Episcopum.
Quàm plurimi è Fratibus nostris, inquit, adeò immenso
quodam caritatis & fraternæ beneuolentiæ ardore erant
inflammati vt minimè suæ parcentes vitæ, sed ipsi sibi inter
se firmè adhærescentes, eos qui morbo opprimebantur

nulla sui cura aut cautione adhibita sedulo inuiserent, illis
 inferrent assidue, pro viribus ob Christi amorem cura-
 rent, una cum illis decederent e vita, lubentissime conta-
 gione aliorum infecti, etiam morbos a proximis quodam-
 modo ad se traherent suaque sponte aliorum mœores
 beneuolè mitigarent. multi item dum alijs ægrotantibus
 curam adhibent illisque vires restituunt, ipsi aliorum mor-
 tem in se deriuantes, vitam amittunt. & verbum illud quod
 vulgò semper dicitur quodque veræ beneuolentiæ solum
 videtur conuenire, nimirum, vt singuli pro amicis abeant e
 vita seque eorum causa (vt ita dicam) reiectamentum effi-
 ciant, re ipsa expleuerunt. Ex fratribus igitur qui virtute fa-
 cilè erant præstantissimi ad hunc modum mortem oppeti-
 uerunt: quorum nonnulli erant presbyteri, alij diaconi,
 quidam e populo virtutis ergò multum laudati, adeò vt
 istud mortis genus quod propter incredibilem caritatem
 & robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrij splen-
 dore abesse videretur. quin etiam Sanctorum corpora ma-
 nibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere,
 occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadauera,
 decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lauare
 accuratè & linteo funebri inuoluere non grauati sunt, ipsi-
 que qui supererant paulò post similia officia in se collata
 propterea adepti quòd eandem mortis viam instarent
 quam qui præiuerant institissent. haftenus Eusebius ex
 Dionysio Alexandrino. Quibus verbis veluti exactissimo
 penicillo pulcherrimè nobis depingit heroïca illa Christia-
 norum opera in proximorum necessitatibus subleuandis
 exhibita, cum gentiles his omnia facerent contraria, vt idè
 narrat. eos enim qui egrotare incipiebant, ab ædibus extru-
 dere, deserere amicissimos, in plateas semiuiuos projcere,
 cadauera insepulta canibus exponere dilanianda, mortis
 participationem & quasi communionem auertere quã pla-
 ne vel

Euseb.
 hist. l. 7.
 cap. 27.

nè vel infinita diuerticula quærentes nullo modo poterant euitare. in gentiles quippe longè lateque plus quàm in Christianos oberrabat. Sicuti enim de primogenitis Aegyptiorum scriptum est, *Non erat domus in qua non taceret mortuus*, idque planè meritò. multa namque & graua incommoda perditò eorùm conatu Christianis etiam ante hæc tempora importata fuerant primùm omnium (ait) nos ex vrbe expulerunt, quo quidem tempore nos soli cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & multati morte, festum lætis animis celebrauimus, & singula loca ad singula afflictionum genera nobis præstituta, vt ager siluestris, solitudo deserta, nauis fluctibus iactata, diuersorium publicum, & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conuentus maximo cum studio ageremus. his de rebus deinceps bellum & fames eos de improviso oppresere, quæ quamquàm nos vnà cum gentilibus perferebamus: soli tamen inter omnes quæcumque vrgebant, æquo animo sustinuimus; & tametsi illarum rerum quas illi consciuissent ipsi inter se, tum prætereà perpeffi essent, eramus ex æquo participes; pace tamen Christi quàm nobis solùm clemens largitus est, rursum mirè nos ipsos oblectauimus. Ecce originarias causas cur Deus pestè, bellū, famē similesq; calamitates immittit. peccata, peccata, iniquitates, iniquitates sunt persecutio innocentium horum Christianorum causa fuit cur potentissima illa Alexandrina ciuitas tam miserè fuit deuastata. ipsi tamen Christiani in bono malum vincentes & charismata meliora æmulantes, Euseb. l. 9. cap. 7. fidissimam suam operam cunctis impendebant. Præstiterunt idè ipsum in læuissima illa pestilètia, de qua supra pluribus egi, quæ sub Maximino Imp. grassata est, quo quidè scribit Euseb. Clara singularis Christianorum, licet essent grauissimæ

grauissimâ persecutione exagitati, erga quemque & studij & pij animi indicia apud omnes increbruerunt. nam hi soli in tanto malorum cumulo suis rectè factis & pijs officijs misericordiam declarabant & benignitatem. quorum alij in dies singulos mortuorum funeribus & sepulturæ (infiniti enim erant quibus sepeliendis nemo curam adhibuit) diligentem nauarunt operam: alij multitudine eorum qui per totam ciuitatem fame vrgebantur, in vnum coactâ, omnibus panes dispertierunt: vsque adeò vt hoc præclarum facinus per omnes homines constanti fama & magna celebritate peruaderet, & singuli Christianorum Deum gloria & laude prædicarent, eosque solos & veros Dei cultores re & factis comprobatos faterentur. Pro quibus rebus ad hunc modum confectis magnus ille & cælestis Christianorum propugnator Deus, simul atque his calamitatibus, quas supra commemorauimus, in omnes infideles pro maleficijs quæ præter æquum in nos admisissent, terrorem suum & indignationem palàm ostenderat, clementem & eximium suæ de nobis prouidentia splendorem de integro aduersum nos effudit, nobisque tamquam in profunda tenebrarum caligine constitutis mirandum in modum præclarum pacis suæ lumen cælitus demisit, & omnibus planum fecit se Deum esse qui nostrarum rerum semper diligentem rationem ducit, qui populum suum castigat, qui rebus afflictis cum tempus postulat eum coercet, qui rursus vbi suos disciplinâ & correctione satis afflixerit, se propitium & beneuolum his qui in eo spem ponunt, manifestè declarat. hæc Euseb. Rursus qualia caritatis obsequia Christiani exhibuerint tempore mortalitatis atrocissimæ sub Gallo & Volusiano Imp. audi Pontium in vita S. Cypriani Distributa sunt ergo, Cypriano populum grauissimè adhortante, continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. multi qui angustia pau.

stia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem diuitijs omnibus cariorem, & quis non sub tanto doctore properaret inueniri in parte aliqua talis militie per quam placeret & Deo Patri & iudici Christo & tam bono interim sacerdoti? fiebat itaque exuberantium operum largitate quod bonum est ad omnes; non ad solos domesticos fidei. fiebat plus aliquid quam de Tobia incomparabili pietate signatum est. ignoscat ille, & ignoscat iterum, & frequenter ignoscat, aut vt verius dixerim, merito concedat, tamen ante Christum plurimum licuit, plus aliquid licuisse post Christum, cuius temporibus plenitudo debetur. necatos ille à rege & proiectos sui tantum generis colligebat. ita Pontius. At quæ fuerint gentilium tum opera ex ipso Cypriano audiamus contra Demetrianum. Pestem & luetm ait criminari quasi nobis debeant ista omnia inputari, cum peste ipsa & lue vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, & defunctis auaritia inhiat, & rapina. iidem (gentiles scilicet) ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij, fugientes morientium funera, & appetentes spolia mortuorum, vt appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint cum curantur euadere.

Pontius in
vita Cyp.

Quæ fufius enarraui vt insigni hoc primitiuorum Christianorum exemplo me aliosque incitem ad eadem obsequia contagionis tempore proximis exhibenda, quæ si sincera caritate impendantur martyrij quasi lauream in mercedem reportant, vt procul à pastoribus animarum abesse debeat illo necessitatis articulo laborantibus ouibus sese subtrahere, qui pro illo tempore maximè sunt conducti vt Sacramenta & alia ad salutem necessaria ministrent. quid enim absurdius quàm si miles ad bellandum conductus, illo temporis articulo fugiat aut muneri suo renuntiet cū iam

L 1

pugnandum

pugnandū est: timeant huiusmodi pastores ne illis expro-
bretur à Domino: *O pastor & idolum derelinquens gregē tuū!*

Zachar. 11

Ezech. 34.

Lac comedebatis, & lanis operiebamini & quod crassum erat occidebatis: gregem autē meum non pascebatis: quod infirmum erat non consolidastis, & quod egrotum non sanastis; & dispersa sunt oves meae eò quòd non esset pastor. quasi dicat; Videris esse pastor, sed re vera es idolū & larua pastoris, fictus & pictus, nō verus & viuis pastor qui gregem deseris & te pacis, nōne greges à pastoribus pascuntur. Sanctio prisca Ecclesiae est: Beneficiū datur propter officiū. Nomen nos pastoris nō ad quietē sed ad laborē suscepisse cognoscite, inq.

11. 4. Ep. ff.

15.

pastorum Pastor. S. Greg. exhibeamus ergo in opere quod signamur in nomine. Certè quantū Deo displiceat cōmissi sibi gregis desertio, miro sed verissimo exemplo ostendere voluit an. 614. S. Laurentius in Cantuariēsi Ecclesia S. Augustini successor multis tribulationibus & quotidianis afflictionibus fractus, Angliam & simul Ecclesiam suam derelinquere cogitabat. iussit itaque ipsa nocte in Ecclesia SS. Apostolorū Petri & Pauli, lectura sibi parari. in quo cū post multas preces ac lacrymas ad Deum pro Ecclesiae statu fusas, ad quiescendū membra posuisset atq; obdormisset apparuit ei beatissimus Apostolorū Princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens sciscitabatur Apostolicā districtione quare gregē quē sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorū oves Christi in medio luporū positas fugiens ipse dimitteret? an mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi quos mihi in iudiciū suæ dilectionis cōmendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam deniq; mortē, mortē autē crucis ab infidelibus & inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertulit? his B. Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox manē facto, venit ad regē, & reiecto vestimento, quantis esset verberibus

beribus laceratus ei ostendit. qui multū miratus & inqui-
rens quis tanto viro tales esset ausus plagas infligere, vt
audiuit quia causa suę salutis Episcopus ab Apostolo Chri-
sti tanta esset tormenta plagatq; perpeffus, extimuit mul-
tum, idololatriã respuit, illegitimū connubiū abdicauit, su-
scepit fidem Christi & baptizatus, Ecclesię rebus quantū
valuit, in omnibus consulere & fauere cœpit. Beda l. 2. c. 6.
Vę vę pastorib. qui derelinquūt gregē suū in die mala. scili-
cet, In prælio cerui, in pace leones. nō sic ille de quo Poëta:

Qui petit insignem per plurima funera mortem.

Illustre hac in re exemplū dedit S. August. verus Ecclesię
Hippon. pastor. Me putate matrē esse animarū vestrarum.
studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare,
abluere sordida, reparare perditā, & ea quę sunt integra
spiritualibus margaritis ornare. Verē dixit vir sapiens: Præ-
sul vt pręsit & profit suis, ab ijs non absit. ita fecit hoc sæcu-
lo S. Carolus Borromæus, qui diligentissimē omnes suas
parcecias & populos etiam per rupium & montiū abdita,
hieme & æstate obiuit & visitauit, cum singulis agens, sin-
gulos docens, instruens & dirigens in viam salutis. talis &
Martinus Rythouius, qui pio huic muneri immortuus est.
Pascite ergo ô Pastores qui in vobis est, gregē Dei, vt cū ap-
paruerit princeps pastorū percipiatis immarcessibilē glorię
coronam. quod omnibus ex animo voueo, & cum hoc voto

En propero ad toto diuisos orbe Britannos.

C A P. LVI.

De S. Ceadda Episcopo Lindis-farnensi.

SANCTUS Ceadda abbas monasterij Lestingahæu succel-
sit in locum Episcopi Deus-dedit; quo in munere per-
fecti pastoris exemplar se exhibuit. Cū verò anno
672. pestis miserē Angliam depopularetur, postquā annis
LI 2 duobus

Homil. 26
inter 10.

Epist. 1.
Petri c. 5.

Beda li. 7.
c. 7. 8. 9. &
10.